



**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi  
Servatoris Crisis Historica**

**Chifflet, Jean-Jacques**

**Antverpiae, 1624**

Cap. IX. Sudarium Domini è Palæstinâ Vesontionem perlatum, & quando:  
ostensionis eius ritus antiquior: non est cingulum Domini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

## CAPVT IX.

*Sudarium Domini è Palestinâ Vefontionem perlatum, & quando: ostensionis eius ritus antiquior: non est cingulum Domini.*

**P**OST illustre & memorandum flammaram, quas euasit, miraculum, sudarium Domini in ciuitate Sarracenorum prouinciæ Palæstinæ maximo in honore est habitum; ibi enim *totus populus*, inquit Beda, *summâ ueneratione illud salutabat & osculabatur*, cum ratione miraculi perpetrati, tum propter Theandrici corporis effigiem, quam è Christi demortui contactu refert. Tandem verò è Palæstinâ perlatum est Vefontionem, vel eo nomine ter beatam. Sed translationis rationem, tempus, auctorem, inuidit sæculis posterioribus luctuosum illud incendium, quo Vefontina S. Stephani Ecclesia de cælo tacta anno MCCC. XLIX. miserabiliter deflagrauit: cuius cladis triste monumentum habes ex æneâ tabulâ, parte secundâ nostræ Vefontionis, in Hugone Sexto. De his certè translationis adiunctis parum refert, vbi de sacri pignoris sanctitate constat, ex diuinis præcipuè testimonijs, & miraculorum magnitudine, ac frequentia de quâ posthac aliquot Capitibus agam.

Ecquid

Ecquid enim facit ad Vefontini sudarij commenda-  
 tionem, si scias Titium illud emisse à Sempro-  
 nio anno Christi millesimo, tertio Kalendas Maij?  
 annon rursus quæres vndenam haberet Sempro-  
 nius? Apage mihi has hæsitantias, & malè sani  
 cordis palpitationes. *Ritus Ecclesiæ, mores & tradi-  
 tiones*, inquit Gregorius Nazianzenus, *non tam  
 humanis ingenijs, quàm vi diuinâ, & temporis firmi-  
 tate vigorem obtinuerunt.* Cùm de Reliquiarum ve-  
 ritate agitur, maiorum traditio, consensus populo-  
 rum in publicum cultum, facer horror spectan-  
 tium & in melius mutatio, cacodæmonum fre-  
 mitus, morborum immedicabilium depulsio,  
 mortuorum denique fuscitatio (quæ omnia, &  
 alia insuper non pauca, Vefontino sudario patro-  
 cinantur) syngrapharum omnium & publicarum  
 tabularũ fidem superant. *Ea quæ vulgò recepta sunt*,  
 inquit Fabius, *hoc ipso quòd incertum auctorem ha-  
 bent, velut omnium fiunt.* Neque tamen de sudarij  
 sui origine nihil sciunt Vefontini: rem accipe cer-  
 tam, mihiq̃ue multorum testimoniis exploratissi-  
 mam. Tenent Marani è Galliâ Occitanâ (quibus  
 in eo minimè sublesta fides, cùm pignus illud sa-  
 crum penes se diutissimè habuerit gens illa Θεο-  
 κρή, vt suprâ retulimus) *turbatis in Oriente rebus,*  
 & *impietate Turcarum profanatis venerabilibus*  
 G 2 *locis,*

6. Bell. fa-  
cri, c. 23.

locis, eiectisq; inde cultuum diuinorum ministris, vt loquitur Tyrius, sacrum hocce linteum à feminâ quadam Iudæâ Christianâ, quæ illud in arculâ reconditum sedulò asseruabat, largâ satis numerorum copiâ redemptum, per quemdam Vefontinum primæ notæ virum, eumque Ecclesiasticum. nomen viri obliuione sepultum est: de conditione, cùm sacrum sudarium Vefontina S. Stephani Ecclesia post omnem memoriam possederit, non autem Ecclesia S. Ioannis, dignitate nihilo inferior, antiquitate etiam venerabilior, nihil dubitem id muneris Vefontionem deportatum à quopiam Ecclesiæ S. Stephani Canonico, qui tactus amore piæ militiæ, ad Terræ sanctæ recuperationem Hugonem Quartum Archipræsulem Vefontinum fuerit comitatus: in illâ enim primâ in Palæstinam profectio, *non erat in Regnis Occidentalibus* (verba sunt Tyrij) *qui aut atatis, aut sexus, aut conditionis vellet esse memor, omnes indifferenter manus dabant, omnes unanimiter corde & ore votum profitebantur; ipsi etiam Prælati & Presbyteri, dummodo* (addidit Pontifex) *Ecclesia per eorum absentiam enormiter non laderentur, essentq; futuri vtilis Terræ sanctæ, verbo pariter & exemplo.*

Tempus autem perlati sacri muneris, vix aliud esse posse existimamus ab initio duodecimi sæculi, quo

quo hierostratæ Vefontini, socij Hugonis Quarti Archiepiscopi nostri, Stephani Comitis Burgundia, Rainaldi fratris eius, Vicecomitum Assonæ & Grayaci, Petri de Domnipetrâ, Gilberti de Treuâ, & aliorum Sequanicæ Prouinciæ Nobilium, rediere ex illâ populosâ, duce Gottefrido Bullionæo, in Palæstinam profectio. namque sæculis expeditionem illam præcedentibus, nulla extat sudarij Dominici apud nostros memoria. Quin & ipse S. Leo IX. Pontifex Maximus, qui anno M. XLVIII. Ecclesiæ S. Stephani maius altare cōsecrauit, in Diplomate, quod deinde anno M. LI. Canonicis concessit, ait, *vidisse se, & in altari basilicæ S. Stephani condidisse pretiosissimum S. Stephani brachium, iectibus lapidantium Iudæorum quassatum;* nullâ prorsus sacrosancti linteï factâ mentione; quod tamen si illic iam fuisset, & ipse oculis lustrasset, non videbatur omissurus. Statim verò post initium sæculi decimitertij, tangitur ritus ostensionis S. Sudarij, ex altari S. Stephani, die Paschæ, in quodam Rituum codice, quem scriptum cōstat ante vnionem Ecclesiarum S. Ioannis & S. Stephani, factam anno MCC. LIII. prout in nostrâ Vefontione fusiùs declarauimus, cùm in eodem codice mentio fiat Stephani illius Burgundiæ Comitis, *viri inclyti, vt ait Tyrius, & nobilitate insignis;*

54 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI  
in Terrâ sanctâ defuncti. Quæ cùm ita habeant, si  
chronologicam normam adhibeas, comperies,  
sacri muneris ad nos perlationem non aliud in  
tempus meliùs referri, quàm in annos millesimo  
centesimo circumiectos: qui annus vt Leone No-  
no posterior est, ita integro sesquisæculo antece-  
dit ætatem codicis Ritualis; qui morem ostensio-  
nis, non vt planè nouum videtur describere, sed vt  
aliquot annorum decursu iam celebratum, & qui-  
dem pio mysterio, quod tale fuit:

In die sancto Paschæ, inter Matutinas preces,  
prodibant è Sacrario tres Canonici simul canen-  
tes: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?*  
ad quos, cùm ad Altare maius accederent, alati  
pueri, eo amictu redimiti, quo cælestes genij depin-  
gi solent: *Quem quaritis?* illi verò: *IESVM Naza-*  
*renum.* rursus alati pueri: *Surrexit, non est hic.* deinde  
Cantor ad priorem è Canonicis: *Dic nobis Maria,*  
*quid vidisti in viâ?* tum respondebat Canonicus:  
*Sepulchrum Christi uiuentis, & gloriam vidi resur-*  
*gentis.* mox secundus: *Angelicos testes, sudarium &*  
*vestes,* ostendendo S. SVDARIUM quod gestabat.  
tertius demùm: *Surrexit Christus spes nostra, præcedet*  
*vos in Galileam.* ad quæ Chorus dexter: *Credendum*  
*est magis soli Maria veraci, quàm Iudeorum turba*  
*fallaci.* Chorus sinister: *Scimus Christum surrexisse*  
*à mor-*

à mortuis, &c. omnes denique vnà ritum claudebant Ambrosiano Cantico, *Te Deum laudamus.*

Vaticinium quidam agnoscunt in Abbate Ioachimo, de sudario Christi aliquando euoluendo. sic enim ille in Psalterium: *Satis est nobis videre sudarium, quod fuit super caput IESV. illud autem explicare nobis non licet, nisi fortè in illum diem, in quo constituit Dominus.* Sed mysticè loquitur, alludens ad sudarium quod Petrus vidit in monumento, separatim inuolutum, quasi dicat cum Apostolo: *Videmus nunc per speculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Ceterùm ab omni sensu & historix veritate prorsus aliena est eorum coniectura, qui gratis volunt in Ecclesix Vefontinæ monumentis, vbi recensentur pia Theodosij Secundi munera, per *cingulum siue balteum Dominicum*, intelligi debere S. Sudarium Christi: quam sententiam hoc mihi fortiùs reuellendam putavi, quòd à nonnullis absque fundamento iactata induxit R. P. Iacobum Gauterium, vt in suâ Chronologiâ diceret, Sudarium Christi anno Domini CD. XXXIX. missum fuisse Vefontionem à Theodosio Secundo. Igitur (vt taceam de anno sacrorù munerum Theodosij, qui probari non potest, quòd sit quadringentesimus trigesimus nonus, ex his quæ in  
historiâ.

56 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI  
historiâ nostrâ Vefontinâ retulimus) clarum est,  
præcipuum Theodosij munus fuisse brachium  
S. Stephani Protomartyris, cuius corpus per Lu-  
cianum Presbyterum, in villâ Palæstinæ Ca-  
phargamalâ fuerat repertum anno C D. XV. alia  
verò ipsi tantùm addita tamquam paradora,  
hoc ordine: *B. Maria pectinem, & tantillum de ca-  
pillis eius; cingulum quoque Dominicum; necnon san-  
ctorum martyrum corpora Epiphaniij & Isidori,  
& caput S. Agapiti.* vt vel hinc maximè appareat,  
*cingulum Domini non esse sudarium eius,* aliis  
quibuscumque muneribus prænotatis alioquin  
anteponendum. Deinde Hymnus perantiquus  
à nobis in Celidonio relatus, cingulum illud per  
Theodosium missum, zonam Christi fuisse cla-  
rè indicat:

*Magnificemus Virginem,  
Cuius habemus pectinem,  
Crines, cingulum filij,  
Sui cumulum gaudij.*

Alludit pius Poëta ad sensum voluptatis, quo per-  
fufam par est credere Virginem Deiparam, quo-  
ties puerum IESVM filium suum, speciosum  
formâ præ filiis hominum, zonâ illâ præcinge-  
ret, quæ constantissimè in omnibus Ecclesiasticis  
lectionibus, vbi fit mentio munerum Theodo-  
sianorum,



fianorum, vocatur *cingulum*, vel *balteum Domini-*  
*cum*; nusquam autem *findon*, aut *sudarium*; quod  
 alioqui matri amantissimæ, vulnerum potiùs  
 refricatio quàm gaudij cumulus fuit. Tertio,  
 (quod omnem dubitationem tollere debet) Su-  
 darium Christi religiosissimè custoditur in Ec-  
 clesiâ S. Stephani; cingulum verò Dominicum,  
 per Theodosium missum, seruatur (saltem pars  
 eius) in S. Ioannis Euangelistæ Sacratio, argen-  
 teâ hierothecâ conclusum, palmaris longitudi-  
 nis, latitudinis pollicaris, Orientalis texturæ, co-  
 loris purpurei subobscuri, cum hoc titulo præ-  
 fixo, DE CINGULO DOMINI. Sed pergamus,  
 & ipsas voces, quas ab Auctoribus vim sumere  
 Fabius censet, pensiculiùs examinemus. Iam-  
 pridem colimus litteras, necdum nobis occurrit  
 Auctor aliquis, qui voce cinguli absolutè, pro fin-  
 done aut sudario sit vsus. Cingulum à cingendo  
 dici volunt Varro, Nonius Marcellus, & alij La-  
 tini: Hebræi חָגוֹר *chagor* vocant: Chaldæi זֹנָרָא  
*zunara*, Græci ζώνη, ζώνια, ζώνια; & verbum  
 ζώνω, quod est *cingere*. Zonarum verò quædam  
 latæ sunt, aliæ strictæ, mediæ nonnullæ. Isidorus,  
*Cinctus*, inquit, *est lata zona; & minùs lata, semicin-*  
*ctium; & utrisque minima cingulum: nam à cincto*  
*per diminutionem cingulum nominatur.* Zonâ strictâ

H siue

58 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI  
 siue cingulo Christum esse vsum, extra contro-  
 uersiam est: nam Hebræi, qui laxiores vestes ge-  
 stabant, eas cingulis constringebant. *Præcepit ipse*  
*discipulis suis, ne asferrent in zonâ.* & Ioannes eius  
 prodromus, *erat vestitus pilis cameli, & zona co-*  
*riacea circa lumbos eius.* Balteus etiam, *cingulum mi-*  
*litare* Isidoro, pro sindone aut sudario numquam  
 est vsurpatus; pro zonâ verò sacerdotali, quæ erat  
 inter vmbilicum & pectus, sæpissimè, vt è Sacro

contextu referunt <sup>a</sup> Hieronymus, <sup>b</sup> Sigonius,  
<sup>c</sup> Adrichomius, <sup>d</sup> Ribera, atque <sup>e</sup> Benedictus A-  
 br. cap. 2. rias Montanus, qui præterea producit summi  
<sup>f</sup> InThea- Sacerdotis sanctis vestibus & ornamentis instru-  
 tro n. 85. cti figuram ex descriptione Moysis, cum tunicâ,  
<sup>g</sup> DeTem- superhumerali, balteo, vittis, & reliquo apparatu.  
 plo lib. 3. cap. 17. Vnus est locus Nonni in caput Ioannis vigesi-  
<sup>h</sup> Ant. Iud. mum, quem vtrò aduersarijs porrigo, ne cui vi-  
 lib. 6. deat consultò dissimulasse:

— Υ' πῆ δαπέδοιο δ'ε γυμνῆ

Σύζυγας ἀλλήλοις λινέας ἐνόησε χιτῶνας,  
 Καὶ κεφαλῆς ζωστῆρα παλίλλυτον ἀμμαπχάιτης,  
 Σεδάρον ἔπει εἶπε Σύρων Ἰπιδήμιθ' αὐδή: id est,

*Super nudum autem solum vidit coniunctos inter se*  
*lineos amictus, & capitis cingulum resolutum nexu*  
*comæ, quod popularis Syrorum vox dixit Sudarium.*  
 Sanè ζωστῆρ, cingulum est siue balteus; & cum ad-  
 iuncto

iuncto κεφαλῆς, potest significare sudarium, quippe quod ad caput religabatur; at sine illo adiuncto ineptè pro sudario vsurparetur: nusquam autem Vefontinæ tabulæ docent missum Vefontionem à Theodosio *cingulum capitis Christi*; sed absolutè *cingulum Dominicum*: & alia quæ attuli rem fatis probant.

## C A P V T X.

*Alia sacra pignora ex Oriente cum S. Sudario Vefontionem allata.*

**V**T nemini mirum videatur Hierostratam Vefontinum, pretiosum Sudarij Dominici munus è Palæstinâ ad suam Ecclesiam attulisse; sciendum est, vigente immani & barbarâ Turcarum persecutione, & imminente Christianæ religionis in Oriente naufragio, eduçta è Sacrijs, & per Christianos quouis modo recondita Ecclesiarum pignora. Post captam Antiochiam, tertiâ mensis Iunij, anni M. XC VIII. *effosâ terrâ, in Ecclesiâ Principis Apostolorum*, ait Tyrius, *lan-* Lib. 6.  
*ceam, quâ Christi latus fuerat perforatum, sacri mili-* cap. 14.  
*tes repererunt.* & sequenti anno M. XC IX. captâ Ierosolymâ, die decimâ quintâ Iulij, per eosdem inuenta est *portio Dominicæ Crucis*; idq; monitu &

H 2 bene-